

dam, imò prout violenta trusio fuerit, impetu proportionato, primam sibi laxitatem acquirere studet. Atque hinc potissima Ventorum progenies ortum ducit.

§. 16. Præter has aëris proprietates, hoc ævo potissimum deprehensas, considerationem hinc meretur illa superiori seculo jam cognita, quæ radios stellarum aër instar vitri convexi refringit, h. e. deorsum flectit, ut Stellæ, præsertim circa Cœli Terræque confinia, semper appareant aliquantisper altiores, quàm revera sunt. Vid. Fig. 16.

## CAP. II.

# De Mundo superiore.

I.

## De Stellis fixis.

§. I.

**S**tele sunt corpora mundana circa Terram in orbem disseminata. §. 2. Stellarum remotissimæ, lucem maximè scintillantem, adeoq; propriam, Solis instar evibrantes, quæ magno numero Terram nostram cingunt, quod fixam, i. e. eandem, inter se distantiam servant, licet continuò moveri videantur, *Stellæ fixæ* appellantur. Earum potiores melioris distinctionis ergo in certa velut agmina sunt distributæ, quæ memoriæ causâ certis imaginibus, quas dicimus *Asterismos*, distincta, se mutuò, si à polo septentrionali progredimur, insequuntur hoc ordine:

### ASTERISMI SEPTENTRIONALES.

*Ursa minor, Cepheus, Pardus, Plaustrumq; Dracoq;*  
*Arctophylax, Sertum, Prolapsus, tum Lynx, Cygnus.*  
*Cassiope, Andromede, Perseus, Auriga, Capillus,*  
*Anguitenens, Aquila, Antinous, Delphinus, Equusq;*  
*Et Deldoton, Apis, Fluvios quibus adde sacratos.*

### ZODIACALES.

*Hinc Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,*  
*Libraq; Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Pisces.*

### AUSTRALES.

*Cetus & Eridanus, Lepus, Orionq;, Columba,*  
*Sirius & Procyon, Cornu uno, Gallus & Argo:*